

DE

RHACHITIDE

ET DE

RATIONE, QUAE INTERCEDAT RHACHITIDE
CUM SCROPHULOSI.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI

UT SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE ADIPISCATUR


IN AULA ACADEMICA

DIE XV. MENSIS JUNII HORA X.

PUBLICE DEFENDET

I. FRIED. ABEGG

TURICENSIS.



TURICI

TYPIS ZÜRCHERI ET FURRERI.

MDCCL.

PATRI SUO CARISSIMO

ANTONIO ABECCO

MEDICINAE PRACTICO

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

Inter multos morbos, qui a veteribus »Kachexiae« et »Dyskrasiae« appellati sunt, quum scrophulosis tum rhachitis praecipue, quae vires infantum, quos invasit, frangit et consumit, totiusque organismi evolutionem impedit et retardat, haud infimum locum obtinet. In arte medica haud raro accidit, ut morbi inter se cognati et, quod ad eorum symptomata pertinet, similitudinem quandam ostendentes saepius inter se confundantur, vel solum species ejusdem generis, quin etiam iidem habeantur; sed quamvis interdum tales vicini morbi similibus, vel adeo iisdem medicamentis cedant, tamen non infitiandum est magnam varietatem nosologicam in eorum natura, indole et origine exstare. Id ante omnia valet de morbis, quos memoravimus, quorum de substantia, mutuaque ratione jam ex eo tempore, quo accuratius innotuerunt, medici clarissimi in contrarias sententias discessere et ex parte adhuc inter se discrepant. Glisson cui primo accuratiorem descriptionem rhachitidis debemus, singulare morbi genus eam appellat; eum secuti sunt Malfatti et posteriores plurimi, quum Portal, Richter atque inter novissimos Schoenlein praecipue scrophulosi eam attribuant. — Equidem nunc mihi propositum in hac dissertatione brevem rhachitidis descriptionem exhibere, eaque innitentem demonstrare rhachitidem et scrophulosim duo morborum genera esse natura plane inter se diversa, qua in re cum primo hujus sententiae auctore, Glisson consentio.

Morbus, qui dicitur rhachitis, morbus anglicus, the rickets, la chartre, Englische Krankheit, Zweiwuchs, doppelte Glieder etc. ex omnium sententia jam veteribus nota fuit, jam enim apud Hippocratem et Celsum quaedam hujus morbi vestigia reperiuntur; quum autem anno 1612 et 1620 p. Chr. nat. praesertim per Britanniam diffusus esset, Glisson primum anno 1650 eam singularem morbum esse contendit et ut talem descripsit, atque ei nomen rhachitidis attribuit, postquam jam anno 1649 sparsa illius mali indicia a D. Whistler et A. de Boot tabis pectoreae nomine divulgata sunt. Glisson rhachitidem singulare morbi genus esse vult primum e medulla spinali oriens, deinde per ceteras corporis partes se diffundens; e sententia autem nonnullorum Francogallorum et Germanorum medicorum scrophulosi maxime propinquum genus, quin etiam scrophuloseos species est, quae sententia inde maxime orta videtur, quod crebro cum scrophulosi conjuncta est. Nihilominus cum Glisson mihi persuasum est, rhachitidem singulare morbi genus habendam esse, quod nonnunquam quidem cum scrophulosi conjunctum reperiatur et nonnulla symptomata illi similia praebeat, sed tum tota natura sua substantiaque, tum exitu suo prorsus ab illa discrepet.

Symptomata.

Rhachitis per primae dentitionis tempus apparere solet, longe rarius per secundae, atque rarius etiam congenita est. Maxime dubia est ea sententia, quae vult adultos quoque illo morbo affici; nam qui ejusmodi afferuntur casus, vitiosam observatione inniti videntur. Plerumque primo digestionis et nutritionis perturbationes apparent; magno saepe appetitu edendi hoc malo affectos infantes invadente tamen in dies emacescunt, dum venter inflatur et extenditur. Praecipue

cibos e farina paratos appetunt, deinde inflationes apparent, excretio alvi modo retardata, modo diarrhoeica, habitus fit cachecticus, cutis sordida frigidaque; musculi molles, facies pallida, tumida, interdum rugosa, senilis; oculi languidi; praeterea infantes tristes sunt et morosi, semper somniculosi, pigri; ire haud incipiunt, quin etiam si jam antea ierunt, nunc ire dediscunt. Ossium commutationes, quae per hoc tempus plerumque apparent, primum in dentibus cernuntur, qui aut plane non erumpunt, aut, si eruperunt, flavescent, nigrescent, cariosi fiunt et excidunt, gingiva solvitur; deinde cernuntur in ossibus longis, quorum epiphyses tumidae fiunt et fungosae diaphysibus se contrahentibus, unde orta est nominatio: »Doppelte Glieder, Zweiwuchs«, quum membra, articuli praecipue, gemini esse saepe videantur. Ossium mollietates et ob musculorum contractiones et ob ipsum corporis pondus et pressum mechanicum curvationes atque deformitates efficit in diversas partes, in femore quidem plerumque in adversam, in crure in externam partem. Paullatim texturae formaeque immutatio ad lata et plana ossa progreditur; ossa cranii dissolvuntur, atque fungosa fiunt, fonticuli et suturae vel non clauduntur, vel clausae rursus aperiuntur, frons eminent, latior fit, tubera frontalia externam in partem cedunt, totus capitis circuitus fit amplior ob id ipsum, quia cerebri extensio ossibus cranii emollitis minus cohibetur; tempora concava, facies, praesertim maxilla inferior, contrahitur et ex adversa parte conspecta tuberibus frontalibus et mento eminentibus formam triangulam praebet. Collum quoque extenuatur et debilitatur, qua ex re caput saepe aliquantum inter humeros deprimitur. Eaedem commutationes etiam in ossibus columnae vertebralis animadvertuntur, vertebrae maxime varias curvationes ostendunt, cyphosin, scoliosin et lordosin, atque fines costarum sternales nodorum modo intumescunt et

curvantur; eodem modo claviculae quoque et ossa pelvis; sternum eminet, pectoris parietes invicem prope accedunt, itidem cavum pelvis osse pubis appropinquante ossi sacro coarctatur, qua ex re totius corporis contractio oriatur necesse est.

Sed non solum has in exteriores partes illud malum diffunditur, sed etiam in organa interiora, itaque saepe sumto cibo vomitus vel diarrhoea edacitate nihilominus remanente oritur; in ventre extenso intumescit glandularum meseraicarum animadvertuntur, praecipue autem hepatis, quod saepe hypertrophum est, saepe esse videtur, quum depresso diaphragmate suo loco depulsum est; urina rara, rubra et turbida, nonnunquam acide reagens, calcariam phosphoricam atque acidum oxalicum continere dicitur; curvationes, dolores asthmatici consequi solent, asthma etiam ipsum, tussis, palpitatio cordis, phthisis etc. Ingenii indoles infantum plerumque bonae sunt, saepe adeo eximie exultae, ut praecipue memoria et iudicium, contrarium rarissime accidit. Progrediente malo febris accedit aut ab pulmonem deformitatibus costarum et columnae vertebralis affectum, qua ex re tuberculosis oritur, aut ob organorum digestionis degenerationem, suppurationem praecipue glandularum mesentericarum. In utroque eventu febris hectica cum colliquationibus mortem adducit. Praeterea etiam fieri potest, ut propter exsudationem serosam in cerebrum infantes febris inflammatoria cum symptomatibus hydrocephali acuti celeriter moriantur. Ut supra dictum est, rhachitis saepe conjuncta est, cum scrophulosis, praesertim glandulis cervicalibus, inguinalibus et meseraicis intumescitibus; atque cum helminthiasi.

Aetiologia.

Quod ad aetiologiam attinet, de vera natura et substantia morbi non habent medici, quod liqueat; nam quanquam

scrutatio chemica ossium vi morbi mutatorum sales phosphoricos, praesertim calcariam phosphoricam comminutam ostendit, hac re ad morbi naturam intelligendam parum vel nihil proficitur; immo certum est, primam causam non his vitiosis mixtionis ossium conditionibus inesse, sed nutritioni universae, vitiosae digestioni, ex qua morbus ille ossium deinde oritur, id quod praecipue e sectionibus eorum, qui rhachitide affecti mortem obiere, manifestum est, apud quos semper tales digestionis organorum eorumque secretionum commutationes inveniuntur, quales mera ossium affectione nunquam effici possent. Remotiores quidem causae quendam consensum cum scrophuloseis causis ostendunt; sunt enim ex indole quadam a matre praecipue hereditate accepta derivandae, etsi saepe omnes unius familiae infantes hoc morbo ita corripuntur, ut tamen ejusmodi indoles nullo modo monstrari possit; deinde ex aëris natura impura, compressa, humida, quam ob rem apud homines inferioris conditionis saepe reperitur, in regionibus palustribus, nebulosis, ob eandemque causam multo rarius in terris meridiem spectantibus quam in septentrionalibus, in tropicis vero, atque in campis elatioribus (Hochebenen), fere nunquam. Aliae porra causae hujus mali sunt immunditia, nutrimenta parum salubria et convenientia, ut fructus solani tuberosi, cibi e farina parati, panis non satis percoctus, usus dulcium immodicus apud locupletum infantes, omnino si alimenta proteinica deficiunt; deinde hic morbus oritur e malo matris vel nutricis lacte, ex inopia motus corporis, post exanthemata acuta, quibus defuncti hunc morbum saepe subito nanciscuntur, quanquam ex altera parte eadem saepe retraformationem excitant.

Exitus.

Rhachitis aut sanitate ex parte tantum restituta finitur, multifariis perturbationibus valetudinis remanentibus, quum

saepe id solum contingat, ut morbum in certo quodam gradu retineamus, aut retroformationem mancam et imperfectam consequamur, quo facto vel minima difficultate accedente facillime morbus rursus apparet, ut in dentitione secunda atque pubertate. Praeter digestionis perturbationes structura etiam ossium commutata apparet, quae multo firmiora et densiora fiunt, quod »eburnatio rhachitica« appellatur; in ossibus cranii diploë evanescit, quum substantia corticalis hypertropha fit. Perfecta sanatio tum demum consequitur, quum mixtio vitiosa usque eo tantum progressa est, ut sublata ea formae vitia simul evanescant. — Mors denique, ut jam supra memoratum est, morbo longius procedente cum phthiseos aut hydrocephali acuti symptomatibus apparet, et Portal quidem auctore infantes rhachitide affecti, si insigni ingenii indole praediti sunt, phthisi moriuntur, hebetis autem ingenii infantes hydrocephalo acuto, cui tamen sententiae Schoenlein repugnat. In cadaveribus id maxime singulare est, quod plerumque per complures horas post mortem calidiora manent languidis musculis articulisque flexibilibus; in cavitatibus cranii, thoracis et abdominis exsudatio serosa saepe invenitur, praeterea interdum in pulmonibus tubercula, auctio organorum glandulorum, hepatis, lienis, pancreae, thymi, atque glandularum mesentericarum. Sanguis liquidus, pallidus, pituitosus, difficile coagulatur; in ossibus epiphyses ante omnia solutae ac emollitae reperiuntur, crebro diaphyses quoque vel ex parte vel ex toto. In omnes enim partes texturae ossium, in ossa plana et longa, sanguinea quaedam materies exsudatur, quo facto intumescit illae et laxationes oriuntur, atque ossa ita emollita flecti, torqueri et dissecari possunt, quam inter actionem gelatina quaedam subflavo-rubens ex iis emanat.

Rhachitis autem sanatio ex parte tantum restituta fuit, multarum perturbationum retinendarum remanebat, quum

Prognosis.

Prognosis ipsa per se non admodum mali ominis est, quum mors raro morbo ipso statim efficiatur, sed potius iis, quae morbum sequuntur; itaque illa constituitur gradu, quem morbus assecutus est, quum mediocris gradus facile et celeriter saepe sanetur, quin etiam morbo aliquanto longius progresso et formis immutatis tamen interdum restitutio in integrum locum habere possit; deinde ossium genere a morbo occupatorum. Columnae enim vertebralis et pelvis deformitates fere semper, vel serius vel citius, causae evadunt aliorum morborum plerumque periculosorum, quales sunt asthma, vitium cordis, hydrothorax, emphysema pulmonum, apud mulieres partus difficiles etc., quum deformitates ossium extremitatum multo facilius invicem exaequantur, vel certe non magna incommoda relinquunt; denique complicationibus prognosis constituitur, quum exempli causa bronchitis, vel congestiones sanguinis in caput morbum multo graviolem reddant.

Therapia.

Therapia dietae moderationem ante omnia postulat, ideo alimenta infantia, quae effarciunt ventrem, non vere nutriunt, omnia sunt vitanda; maxime commendanda alimenta animalia ad concoquendum facilia, lac praesertim; praeterea modicus usus pomorum tum recentium tum coctorum. Non minus diligentis curae cutis eget musculorumque systema; itaque vestitus siccus et calidus sit, thoracem ne comprimat, aptissimus est usus texti lanei, quod appellant »Flanell«, ipsi corpori nudo induti; attamen ex altera parte qui hoc malo affecti sunt ne nimis calide vestiantur, quia ipse morbus profusus sudores ultro elicere solet, contra quos balneae calidae magnopere commendandae sunt; praeterea cutis languidior corroboretur frictionibus, lavationibus dorsi atque totius

cutis, adhibitis spirituosis et linimentis; balneae frigidae in posterioribus demum morbi stadiis adhibendae. Haud minoris momenti est cura aëris puri et salubris; frigidus aër et humidus non minus noxius est quam aestuosus atque inclusus; ideo infantes hoc morbo affecti tempestate calida et clara quam diutissime aëri exponantur, quin interdiu per aestatem sub divo dormiant, quod plebis quidem inferioris infantibus vix solvenda est difficultas; in apricas habitationes et siccas, si fieri potest, migretur, vel, quod etiam melius, regiones elatiores habitentur, vel transalpinae, Italiae inferioris, aut Hispaniae. Per id tempus, quo ossa emolliuntur, porro infantes dorso innixi cubent, nunquam lateribus, omnesque eundi conatus intermittant.

Tractatio medica praecipue reproductionem comminutam plerumque ad priorem modum reducat, et digestionem moderetur, id quod methodo tonica adipiscimur, qua adhibita interdum prospero successu purgatio datur; ita praesertim amara aromatica dantur, ut gentiana, rheum, quassia, cortex aurantii, china et earum praeparata. Itemque amari vim habet rubia tinctorum, non autem ipsi ossium morbo specificum est, quale a Levret, Rosenstein, Glisson et aliis commendata est; ut specifica porro antacida, absorbentia laudata sunt, ut acidi abundantia tollatur, attamen hoc prospere cedit jam eorum, quae supradiximus, medicamentorum usu, praesertim resolventium; accedit, quod illa haud raro aegre concoquuntur, facilius quidem magnesia, difficilior kali et natron. Porro acidum phosphoricum, quod singularem quidem rationem chemicam ossibus habet, neque tamen eo magis efficiens est in rhachitidem, e contrario plerumque haud concoquitur; porro martialia, quorum tamen ante usum digestio semper est moderanda, ut tolerantur, et quae propterea in extremo demum curae stadio adhibeantur, ideoque vere

specifica haberi non magis possunt quam illa priora; praeterea antiscrophulosa quoque, ut mercurialia, antimonialia, jodium et ejus praeparata dabantur. Inter medicamenta autem maxime eximia unum, quod convenienter adhibitum successum felicissimum habere putem, memorandum est, oleum jecoris aselli, quod in ipsam morbi essentiam directe vim suam exhibere videtur; plerumque jam per octo vel quatuordecim dies continuato usu sensibilitas paullatim comminuitur, partes molles majorem accipiunt firmitatem; mensura unius aut duorum cochlearium mane ac vespere bibendum; neque praeter hoc oleum ullum fere medicamentum adhibendum est. Etiam potus idoneus horum medicamentorum efficaciam adjuvat, ut aqua acidi carbonici et praesertim coffea e glandibus quercus tostis praeparata. Plerumque perfecta sanatio hac via efficitur, ita ut leviores tantum deformitates haud removendae maneant; interdum tamen, quamvis aegrotus in aliquanto meliorem conditionem restitutus sit, perfecta sanatio effici non potest, infantes macri, languidi, coloris pallidi, vel adeo prasini permanent; quod si est, chinae et praesertim ferri usus imprimis indicatus est, ut flores salis ammoniaci martiales, ferrum tartaricum, tinctura ferri pomati et ferrum lacticum; jam balneae chalybeatae simul adhibentur; efficacissima autem erit, si fieri potest, curatio morbi aquis Spaae vel Pyramontii suscepta, et sub ejus finem balneae marinae cum aëris marini inhalationibus, quibus deficientibus balneae marinae artificiales. At si formae immutationes, praesertim curvationes remanserunt, simulac status virium universus auctus est, orthopaedia et ars gymnastica medica has corrigere debent, antequam videlicet ossa in eburnationem transierunt; sed eadem ex causa eo majore prudentia in machinis adhibendis opus est, quia hac ipsa re complures conditiones ad curationem gravissimae ex parte tolluntur.

Ut rem ad finem perducam, restat, ut praecipua discrimina inter rhachitidem et scrophulosim, quae cum illa idem morbus saepe habetur, explicem. Utriusque mali causa est sane reproductio vitiosa, quae in scrophulosi in systemate lymphatico, in rhachitide autem in ossium systemate primo apparet. In rhachitide, quod ad ejus substantiam attinet, his momentis maxima vis tribuenda, auctioni cerebri tum ante, tum post morbi adventum, quae cernitur ex auctione non mediocri diametrorum capitis, fonticulorum et suturarum; porro magnae sensibilitati earum partium, quae e medulla spinali nervos accipiunt, quae sensibilitas auctionem illam cerebri sequitur, neque orta ex inflammationibus, neque cum iis conjuncta. Ejus rei causam laxationi texture inesse verisimile est, quae apud infantes quoque indole hereditaria praeditos in partibus mollibus simili modo apparet. Hanc cerebri extensionem tum etiam consequitur cranii fornix aliquanto emollitus, qua ex re maxime explicandum est, ejusmodi infantium facultates ingenii tam raro reprimi, immo plerumque solito magis excultas esse. Diversa plane ratio est medullae spinalis, cujus auctione singulae quidem vertebrarum partes nondum prorsus conjunctae eodem modo extendi possunt, plerumque vero ob minorem earum mollitiem medulla spinalis aliquantum comprimitur et ejus functiones impediuntur. In rhachitide nutritio a nervorum systemate male afficitur, priusquam systema chylopoëticum a morbo corripitur, quum in scrophulosi nutritio jam ab initio male affecta et impedita reperiatur, ex quo fit, ut haec vegetativi potius nervorum systematis morbus appellandus sit, rhachitis autem animalis. Porro discrimen in indole hereditaria utriusque morbi est; in rhachitide enim infantes plerumque bene nutriti et succosi esse videntur, sed si rem accuratius inquiramus, tangendo statim naturalem musculorum adipisque soliditatem desideramus,

qualis in sano corpore adesse solet, sed mollem potius et prope gelatinosam massam partium mollium videmus, cutis colorem autem prorsus cereum. In hoc musculorum languore actio etiam plane exigua, inde fit, ut infantes capita demittant vel ante ipsius morbi manifestam explicationem et meare haud conentur; interdum quidem macies etiam cum hoc languore conjuncta. Nonnunquam autem indoles morbi non ad verum morbum progreditur, praesertim quum dentitio non nimis mature et celeriter apparet, sed dentes per longiora intervalla erumpunt.

Sed longe aliter se habet indoles scrophuloseos; in torpida enim hujus forma habitus quidem item languidus est et fungosus, sed abest cutis tenuitas, et albus ac cereus color; praeterea labia prominentia, saepe turgida, alaeque nasi, cilia setosa, imprimis vero eximia proclivitas ad glandularum intumescencias, et exanthemata ulcerosa maxime propria sunt morbi indicia. In erethica autem forma infantes maxime mobiles sunt, atque alacres et celerrime adolescunt; cutis itidem saepe candidissima est, non tamen ita ut morbum indicet, qualis est in rhachitide; genae rubrae sunt, capilli plerumque flavi; solent insuper facillime excitari, aucta irritabilitate; eorum adspectus animum suavissime commovet.

Primus impulsus eruptionis rhachitidis semper fere oritur a dentitione; antea vix existit, interdum autem caninis demum dentibus molaribusque erumpentibus, post hos vix unquam, ac rarissime per secundam dentitionem. In scrophulosi contra tempus oriundi nequaquam ita certum est; eruptionem morbi, ubi indoles non abest, provocat incrementum corporis celerius, praesertim quum antea per aliquod tempus substiterit; magis etiam inserviunt huic rei alii morbi, praecipue exanthemata acuta, quae, ut supra vidimus, in rhachitide retroformationi viam facere solent. In hac igitur quod

indoles mera fuit, in ipsum morbum dentitione accrescit, quum in illa formatio retardata dentium dependeat a morbo, morbus dentitionis tardioris causa sit. Quod vero rhachitis in dentitione mirum in modum augetur, sine dubio ex nervorum maxime irritatione, id ipsum indicare videtur hunc morbum e nervorum systemate ortum capere. Si porro scrophuloseos symptomata praecipua, ut exanthemata chronica, ulcera, glandularum intumescantiae, blennorrhoeae, ossium inflammationes etc. comparantur, magnum inter utrumque morbum discrimen facile perspicitur; in rhachitide enim emollitio et comminutio systematum plerorumque oritur, quum in scrophulosi e contrario intumescantiae atque indurationes praevalent, et omnino ad productiones abnormas inclinatio. Schoenlein rhachitidem ossium scrophulosim appellat, quae sententia procreationum pathologicarum utriusque morbi discrimine jam refutatur; affectiones ossium scrophulosae praeterea semper constant intumescantia et dissolutione inflammatoria texturae, quare imprimis a simplice rhachitidis mollitia differunt. Nodi enim ac intumescantiae finium articularum, quae exostoses inflammatoriae adhuc habitae sunt, nulla re alia efficiuntur, nisi quod, exorta mollitia variis causis, quas supra memoravimus, epiphyses in latitudinem premuntur, diaphyses contrahuntur. Fieri quidem potest, ut etiam in ossibus rhachitide expansis status inflammatorius oriatur, qui tamen non ad ipsam morbi naturam pertinet; at hae intumescantiae maxime, praesertim finium anteriorum costarum ossiumque carpi, usque ad hoc tempus illi sententiae, quae utrumque morbum eundem esse statuit, praecipuum adminiculum fuerunt, cujus sententiae vanitatem accuratior inquisitio demonstrat. In nostro quidem malo complicatio cum aliis morbis, praesertim cum syphilide et inflammationibus rarissime, cum exanthematibus chronicis, quale est impetigo, nunquam existit, eo crebrius contra in

scrophulosi; omnino combinatio cum inflammatione multo rarior est, quam vulgo dicitur, nam finium articulorum intumescencia, ut supra dictum, non inflammatione excitatur, quae fortasse e sola complicatione cum scrophulosi oritur, et cum ossa invadit, cariem gignere potest.

Haud raro autem rhachitis conjuncta est cum scrophulosi, quod tamen nequaquam probat unum eundemque morbum esse, quum morbi, qui uno tempore existere, atque inter se conjungi possunt, sed nihilominus separati inveniuntur, prorsus non iidem sint. Glandularum mesentericarum intumescenciae nequaquam ubique adsunt, ubi vera adsunt, ponenda est complicatio cum scrophulosi; in rhachitide contra semper fere apparet intumescencia et vel hypertrophia hepatis, quae in scrophulosi non reperitur.


Prognosis in rhachitide omnino pejoris ominis est quam in scrophulosi, quum et residua multo graviora relinquat, et multi infantes succumbant; natura tamen in illa plus valet quam in hac; eruptionem dentium retardat, ut morbus coërceatur, et hic minus diu permanet, quum post primam dentitionem saepe nullo morbo sequente sanatio celeriter consequatur; scrophulosis vero tum demum exoriri solet, quum rhachitis jam fini appropinquat. Atque natura minime valet in scrophulosi, quae pubertate ineunte demum recedit, ita ut saepe provectiore aetate rursus appareat; alias contra ipso tempore ineuntis pubertatis conditio deterior fit, qua quidem ex re Schoenlein contendere videtur scrophulosim per totam vitam occulte serpere. Rhachitis contra, ut jam memoratum est, dentitione finita prorsus evanescit, curvationes enim hic ibi remanentes ut ulcerum scrophulosorum cicatrices morbus permanens haberi non possunt.

Ex omnibus quae adhuc dicta sunt, rhachitidem multis quidem rationibus cum scrophulosi convenire, sed symptoma-

tibus praecipuis omnino ab ea diversam esse, plane patet, quum in hac ante omnia prorsus desit vitiosae nutritionis ossiumque formationis proprietas. Itaque tum ea ratio, qua rhachitidem speciem quandam scrophuloseos esse volunt, tum sententia eorum, qui judicant plane eundem morbum esse, neque ad illorum morborum naturam explicandam sufficiunt, et levi nituntur fundamento.

LITERATUR.

- D. Whistler, de morbo puerili anglorum dicto „the rickets«. Lugdun. Batav. 1645.
- A. de Bootius, lib. de affection. omissis. cap. XII.
- F. Glissonius, tractatus de rhachitide s. morbo puerili, „rickets« dicto. Lugd. Batav. 1650.
- J. Pet. Büchner, de rhachitide perfecta et imperfecta. Strassburg 1714. In Halleri disput. pathol. T. VI. Nr. 202.
- J. E. Zeviani, trattato della cura di bambini attaccati della rhachitide. Verona 1761.
- Leidenfrost, nonnulla de rhachitide. Dissertat. Duisbg. 1771.
- De Magny, mém. sur la rhachitis ou maladie de la colonne vertébrale, à laquelle les enfants sont sujets. Paris 1780.
- W. Trnka de Krzowitz, historia rhachitidis. Viennae 1787.
- J. F. L. Cappel, Versuch einer vollständigen Abhandlung über die sogenannte englische Krankheit. Berlin und Stettin 1787.
- A. Portal, observations sur la nature et le traitement du rhachitisme ou des courbures de la colonne vertébrale et des celles des extrémités. Paris 1797. Aus dem Franz. übersetzt. Weissenfels 1798.
- L. W. Ficker, de rhachitide morbisque ex ea oriundis. Berol. 1821.
- F. M. J. Siebold, die englische Krankheit. Würzburg 1827.
- Fr. Carvela, Beobachtungen über die Heilung der Rhachitis, aus dem Ital. übersetzt von Dr. Fr. Xav. Melicher. Herausgegeben von Fr. Nasse. Bonn 1835.
- Neumann, spec. Pathol.
- Richter, spec. Therapie; und über das Wesen und die Behandlung der englischen Krankheit. Erfurt 1841.
- Schönlein's Vorlesungen etc.



THESES DEFENDENDAE.

1. Rhachitis scrophulosis ossium non est.
 2. Marasmus senilis non ipse morbus singularis est, sed morborum diversorum symptoma.
 3. Therapia simplicissima optima.
 4. Trepanatio nisi laesiones externae observantur rejicienda.
 5. Non sunt ulcera vere simplicia.
 6. Febris hectica amputationem haud vetat.
 7. Perforatio sectioni caesareae praestat.
 8. Certa graviditatis signa non sunt.
 9. Methodus expectativa, quum secundinae remanserunt, rejicienda.
-

INDEX

1. *Methodus experimentalis, quae secundum remissionem, indicanda.*
2. *Certa et veridicalis signa non sunt.*
3. *Periculis sectioni essentis praesentia.*
4. *Periculis sectioni anatomicae non videntur.*
5. *Non sunt alia signa non sunt.*
6. *Periculis non habentur, etiam observantur, indicanda.*
7. *Periculis et indicanda, quibus.*
8. *Methodus experimentalis, quae secundum remissionem, indicanda.*